

Leo X. papa Joanni de Thedaldis nuntio
suo in Polonia, committit, ut finitis in Po-
lonia negotiis, ad ducem Moschoviae proficiscat.

84

Leo papa X. dilecto filio Johanni de Thedaldis, con-
sanguineo et nuntio nostro. Dilecte fili salutem
et apostolicam benedictionem. Ex instructione quam
venerabili fratri Zachariae episcopo Santiensi, ad char-
rissimum in Christo filium nostrum Sigismundum
Poloniae regem illustrem, nuntio et oratori nostro fu-
ri, et cuius copiam tibi dari mandavimus; apertissi-
me intelliges, quid apud eundem regem fieri, et cum
eo tractari velimus. Tu igitur qui nationum illarum
linguam calles, et locorum peritiam tenes, multipli-
cique experientia rerum polles, iuxta prudentiam
deatentatemque tibi à Domino concessam, dicto Zacha-
riae episcopo et nuntio, fideli consilio et opera assi-
stes, amboque simul curabis, ut desideria nostra eum
quem speramus iuvante Domino sortiantur effectu.

Postquam igitur apud eundem regem commissa
vobis diligenter executi fueritis, ipsique regi visum
fuerit, ut ad ducem Moschoviae eius animi exploran-
di causa te conferas, tu cum benedictione nostra iter
suscipies, et ad dictum Ducem proficiscaris. Quo cum
pervereris, ipsum debita cum reverentia et humanitate
alloqueris, nobisque de sancto ejus orthodoxam fidem
agnoscendi, ac debitam nobis et huic sanctae sedi obe-
dientiam prestandi, et cum dicto Sigismundo rege
perpetuam pacem faciendi, proposito, relatum fuisse
dicas, nosque propterea eidem Zachariae episcopo et
nuntio

1588
nuntio mandasse, ut si tali animo sit peditus, ad
eum se transferat, eique nostram et dicti regis
mentem declaret. Si ergo ipsum Ducem circa promissa
bene dispositum esse, ac dictum episcopum et nunti-
um libenter audire velle cognoveris, ab eo requires,
ut de sufficienti salvo conductu, veniendi, standi ac rede-
undi, ipsi episcopo necessarie comitiva provideat.

Quod si prefatum Ducem ad veram Christi fidem
agnoscendam, obedientiamque nobis et dicte sedi præ-
standam minime inclinatum esse, nec ab aliquo per-
suaderi posse intelliges, nichilominus efficere curabis,
ut cum dicto Sigismundo rege, inducias quas idem
rex optaverit, et de quibus specialem tibi commis-
sionem dederit, ineat, quibus initis et peractis, re-
ditum ad nos parabis, interimque nos de omnibus
et singulis promissis certiores reddere non prætermi-
tes. Datum Roma apud sanctum Petrum sub annulo
piscatoris, die secunda Novembris 1519. pontificatus
nostri anno septimo.